

kat.komp.
24209
I Mag. St. Dr. P



24209

I

~~Histor: 3633.~~

VITA GLORIOSI SERVI DEI

B. SIMONIS DE LIPNICA

ORD: MIN: DE OBSER:

COLLECTA

Per Fr: LUDOUICUM Skrobkouic eiusdem Ord. minimum.

Cum licentia Superiorum.



BRUNSBERGÆ,
Typis Casparis VVeingartneri.
Anno 1636.

Hist. 3633

NICOLAUS SZISZKOVVSKI

Dei & Apostolicæ sedis Gratia Episcopus Varmiensis. Vitam admirandæ Sanctitatis Serui Dei B. SIMONIS de Lipnica Ord. Minorum de Obser. per Reverendum P. F. Ludouicum Skrobkouic eiusdem Instituti collectam, tanquam fidei Annalium nostrorum & constanti populorum deuotioni consentaneam probaui, vtq; prælo subijciatur potestatem feci. Heilsbergæ Cal. Aug. 1636.

Locus Sigilli.

Michaël Sidler, S.Theol. Doct.
Archipresbyter Heilsberg.
ex mandato Illmæ. suæ Cels.

24209 I



MAGNÆ DEI MATRI SPONSÆ VIRGINI
MARIÆ.
ABYSSO GRATIARVM IDEÆ OMNIS PERFECTIONIS PRODIGIORVM COMPENDIO DOMINÆ PATRONÆ OPTIMÆ MAXIMÆ.



Ero ad te ô DOMINA, quod tuum. Tuum esse inficiari non poteris, cuius in eo

 labor

labor omnis fuit, Tuus vt esset. B. SIMON LIPNICIUS est. Adhuc puer balbutiebat, & tamen in tuis laudibus disertus deprehensus per Gratiam, antequam per naturam esset. Creuit cum annis constans tui veneratio, donec totam cœlo intulit. Quare cum Servi tui vitam narro, nec Tu Vena eius Viuifica præteriri citrà piaculum debuisti. Et quomodo diuiderem à præclarè gestis Gloriosi Viri præclara tua beneficia quibus ille stetit? Agnoscit

❧(:)☙ ❧(:)☙

ſcit & modò patrocinii Ma-
riani vim, dùm quoties
piè inuocatur, toties mollem
per te aditum ad Filium ha-
bet, perq; tuas *manus* verè *torna-* Cant. 5.
tiles, verè *aureas* venit, quod
ſpargat ipſe in populos. Per
Te inquam, cui ſecundum
Deum permiſſa eſt poteſtas
in cœlo & in terrâ; quæ an-
te illud aureum humanæ re- Pet. Dam.
conciliationis Altare acce- Ser. 1. de
dis non ſolùm rogans ſed Im- nat. Virg.
perans, Domina non Ancil-
la. Faue ô Domina Gloriæ
Clientis Tui de quo incon-

dité ſcribo ; faue conatui meo dùm eiuſdem gloriæ ortum & incrementa tibi reuerenter tranſcribo. Cracouiæ ad S. Bernardinum Idibus Iunij Anno Salutis ex te genitæ. M. DC. XXXVI.

Clientum tuorum
minimus

Fr. LUDOUICUS
SKROBKOVIC.




B. SIMON DE LIPNICA *Ordinis Minor, de Obser:*
Cracouiæ apud S.Bernardinum in Stradom. miraculis
clarus obiit Anno Dñi 1482.

Index Authorum qui Sanctitatem D. Simonis & prodigia celebrant.

Abraham Bzouius.
Adamus Opätouius.
Adamus Mieczniкowski.
Andreas Gronowski.
Augustinus Culsius.
Christophorus Przeworscensis.
Gregorius Samboritanus.
Franciscus Gonzaga.
Ioannes de Komorow.
Ioannes de Fulstin.
Ioannes Foxius.
Mar. Cromerus Episcopus Varmiensis.
Martinus Bielski.
Martinus Baronius.
Matthias Miechouita.
Matthias Vbiszewski.
Matthæus de Warszawa.
Nicolaus de Sokolniki.
Præclaus Moiecki.
Severinus Cracov: ordin: Præd:
Simon Starouolscius.
Topographia seu descriptio singulorum Prou: Pol: Monast: ordin: S: Francisci.
Vincentius Morawski.

VITA GLORIOSI SERVI DEI

B. SIMONIS DE LIPNICA ORD: MIN: DE OBSER:



Rodiga Cælestis Regis vel hîc eminet liberalitas, quod cùm sit mirabilis in maiestate suâ, vult & in Sanctis suis apparere gloriosus. Non quò plùs innotescát, qui sibi sufficiens est ad omnem magnificentiam, sed vt cum Electis quod suum est commune faciat. Quærit itaq; passim in Sanctis gloriam, ne solus tantùm habeat, eosq; non solùm Cælo sublimes, incircumscriptæ felicitatis perfundi dulcedine, sed apud Populos quoq; amplioribus semper posthumę laudis splendoribus attolli gaudet; ipsis deniq; Cineribus *quibus tanquam organis & vasis usus est ad omnia opera bona Spiritus Sanctus* publicæ venerationis innocens tributum ab Ecclesiâ militante decerni mandat: Verè *dives in omnes qui invocant illum.* Ab hoc fonte ortum habet SERVI DEI D. SIMONIS DE LIPNICA. Ord. Min. de Obs. religiosior per omnes latè patentis Septemtrionis Ecclesias cultus; qui ab eius statim felici transitu, id est ab annis plùs centum quinquaginta

S. August. Tom. 4. de cura pro mort.

Rom. 10.

quaginta non Populorum duntaxat publico sensu ac voce, sed & vtili multis pietate ad nos vsq; propagatus lętioribus in dies assurgere dignoscitur incrementis. Crescentibus enim donis quæ meritis & suffragio Cælestis Viri & numero propè infinita & successibus non tam admiranda quàm stupenda de cælo quotidie veniunt, par est vt crescant quoquè donorum rationes. Sanè si æquè Superioris atq; huius sæculi fidem circa idipsum pietatemué exploremus, ferè omnes in eius laudibus defixi hæserunt. Loquuntur hoc muta licet per naturam, tot ad eius Mausoleum in sensus omnium incurrentia anathemata; non dissimulant Æui vtriusq; Scriptores exceptione omni maiores, quorum nullus res Polonas attigit quin simul in eodem SERVO DEI, pro merito celebrando pius iuxtà atq; disertus esse contenderit. Vndè mihi quoq; ardor primùm, deindè audacia, quæ illi sparsim in suis Annalibus adnotarunt, in ordinem cogere. Non quòd ambitioso præconio efferre propositum sit mihi eum, qui iam altior humanâ conditione omnem dicendi transcendit facultatem, sed vt in vnâ chartâ liberam magnarum virtutum ipsius & prodigiorum admirationem omnibus relinquam. Et iam operi quia Superiorum vrget authoritas manum admoueo, non tanquam laudator, sed breue duntaxàt indicium daturus eorum, quæ in Glorioso SERVO DEI admiranda, siue veterum Historiographorum commendauit industria, siue recentiorum per ipsum beneficiorum portentosa magnitudo confirmat. Vtq; ab ortu SERVI DEi nostra quoq; narratio sumat exordium.

CAPVT

CAPVT I.

Vix natus vitæ robusta exempla ministrat;
Vixq́ hausta lucis spargit vbiq́ faces.

IPsa Agnominis simplex vsurpatio, prodit solum natale D. SIMONIS, nempè Oppidum Lipnica, vnum ex Submontanis, septem leucarum intervallo Cracoviâ procul. Ibi SERVVS DEI, honestis ijsq́ potiùs Catholicæ Religionis laude, quàm nobilitatis prærogativâ illustribus Parentibus natus & eductus. Monstratur cælestis hujus depositi primum in terris reconditorium, non absq́ venerationis illorum Incolarum præiudicio, Domus scilicet paterna, dudùm votis & voce populi, quæ non immeritò dicitur vox Dei designata, nunc iam raro piæ liberalitatis exemplo per * HEROEM meritis in Toga & Sago præstantibus mansurisq́ grauem resolui cœpta, vt dedicetur in Delubrum. Vix autem prætextam VIR DEI induerat, mox spem & vota Parentum, indole ætatem antecedente æquauit. Iam tunc seipso quodammodo maior, sibi æqualium familiares leuitates nullo deterrente declinare; frequentare templum nullo præeunte; Magnæ Dei Matri, quotidianum singularis devotionis pensum absq́ exemplo fideliter persoluere visus. Docile ingenium & ad bonum spontè ruens, formandum primis artium elementis, circumspecti Parentes in sui oppidi Scholâ curant. Nullus illo in muniis Scholæ obeundis accuratior, & facere imperata priùs, quàm moneri iterùm solers; Præceptorem quidem anxiâ de suo profectu curâ absoluit, Paren-

Patria, Genus & prima ætas B. Simonis. Matth. Miech. lib. 4. cap. 73.

** Illustr: D. Comitem in Wisnicz Palat. Russiæ.*

Ex Trad: Incol. Lipnic. & PP. Conu:

tum verò de se conceptam semel spem accendit magis. Quęcunque vulgus puerorum sive amata persequitur, siue negata dolet, ille aut non vidit, aut neglecta transiit. Reficiendo à studiis corpusculo tempus arbitrio ipsius permissum ita dispensauit, vt coætaneis ad vanitates, siue nugas pueriles variè dilapsis, ille sibi semper par nihil indignum indole suâ in moribus præsetulerit. Vndè Parentibus occasio ab huiusmodi fœlici tyrocinio, & primâ curâ, capacem ampliorum virtutum Cracouiam ablegandi.

CAPVT II.

Informes Musæ pietas quas diuidit inter:
Ergo par Claustrum plùs Helicone coli.

Ab Academiâ ad Religionem secessio.

Crom. lib. 16.

Iust. Lips. An. Mur.

ERat in recenti veneratione & linguis omnium Gymnasium Cracoviense ad quod Musas & Gratias dimisso semel Helicone totiesque mutatis sedibus novissimè divertisse, non ex vano iactatum. Commendabat famæ sinceritatem exaggerata multorum eruditio, victuris voluminibus feliciter adeò repræsentata, vt arbitri eâ tempestate litterarum quamtumuis ex intervallo gauderent vices nostras; cæteris qui in rerum paratu aut æstimatione nomini tanto impares, ad nouos plausus suspensis. Ad hoc itaque eruditionis omnis pelagus Parentibus manu ducentibus SERVVS DEI vbi propiùs accessit, non in littore ignobiles leuioris argumenti materias, speciosasque plùs quàm eruditas ceu conchas inanes aut cucurbitas legendo substitit; sed in ipsam abyssum recondi-

conditioris sapientiæ magno animo totum se demisit. Vndè breui robustioribus vtriusq; Philosophiæ præsidiis satis instructus, postquàm in erudito magnarum illarum animarum Areopago comparuit, non solùm plausum meruit, sed & primam in bonis Artibus lauream, tulit præmium. Commodùm Deo ita ordinante accidit, quòd sub idem ferè tempus B. IOANNES CAPISTRANVS magnus proferendæ gloriæ Dei & paupertatis sanctissimæ zelator omnes Vrbis angulos, famâ nominis sui & sanctitatis opinione impleuerat. Divisam is cum SANCTO BERNARDINO Senense propagandæ Observantiæ, cuius ambo fuère alteri Conditores prouinciam nactus, post Austriam Bohemiamq; (factus vbiq; multis causa salutis æternæ) peragratam, parium successuum fiduciâ finibus Poloniæ se intulit. Mox inusitato Regis Casimiri totiusq; populi plausu Cracouiæ exceptus, erigit suggestum in medio Ciuitatis foro. Vbi prædicationi Verbi Dei absq; intermissione insistens (vno ex Alumnis Academiæ qui officio interpretis ad populum Latini sermonis expertem defungeretur adhibito) piam in mentibus hominum non benè cum cœlo conuenientium exercuit tyrannidem. Palàm, clàm, comminùs, eminùs, fiebat concursus omnium ad Virum verba vitæ loquentem, neq; aliquis propiùs accessit vt non melior rediret. Gratum fuit cœlo spectaculum ad vocem vnius hominis tanquam vocem ipsius Dei vndiq; hominum peccatorum greges confluere, & non cum vitijs solùm, sed (quod leuioris noxæ titulum censuramq; meretur) etiam cum mundi vanitatibus, densari pulchra diuortia. Sanè ex solâ aleæ, taxillorum, globulorum lusoriorum, & similium ad pedes VIRI DEI vltrò proiecto-

Metr. Acad. Crac.

Petrus Skarga in vitis SS. ad diem 23. Octob.

Idem Pet. Skar.

iectorum, promiscuâ congerie, tantus tunc in altum creuit aceruus, vt postquàm piacularem concepit ignem, non rumoribus tantùm, sed trepidationi quoq; causam dedisse memoretur. Nobilior verò longè flamma illa cœlestis, quæ eodem pabulum Verbi Dei suggerente, eiusmodi vim in circumstantium sensibus collegit, vt ex solis famosissimæ Scholæ Alumnis, siue trecenti iuxta calculum Præclai Moiecii, siue centum triginta duntaxàt, Petro Skarga supputatore non vitia solùm, sed sæculum quoq; deseruerint, Christum induerint; VIRO SANCTO sub ijsdem legibus, quibus ipse paruit perpetuò adhæserint. Hos fortunatos nimiùm transfugas B. SIMON in exemplum sibi proposuit, ijsq; non ita multò post aggregatus, non priùs oculis vsurpari, quàm coli ab omnibus meruit. Esse quippè iam cœperat in precio apud omnes virtutum ipsius cum quibus adoleuit diù latens concentus, quem Claustro illatum, vbi arctiore nexu votorum Religiosorum deuinxit, facilè omnium in se non oculos tantùm sed studia traxit.

In descr. Ciuit. Cracov.

CAPVT III.

Sæpè Deum inuictum simplex oratio vincit; Semper per MARIAM vincere missa solet.

Orationis feruor & cultus in Deiparam.

PORrò SERVVS DEI, parùm sibi de mundo triumphare visus, quia illi corpus subduxit, nisi etiam mentem humana pridem fastidientem, à corpore (quantùm fas) diuideret, in eumq; eueheret gradum, suprà

ſuprà quem aſcendi non poteſt, totum ſe in eam partem dedit. Cœleſtium enim contemplationi ſemper intentus, diei noctiſq; expuncto diſcrimine, inuictum ab oratione Spiritũ non relaxabat. Quoties ad decantandas Dei laudes ſignum datum eſſet, nullus prior in Chorum venientis, nullus poſterior diſcedentis deprehendit veſtigium. Dilapſis ad quietem Fratribus, ille perpetuas excubias agere, ſiue in Domo Dei, ſiue in Cellâ, quæ ſicut Paradyſus Domini, ob familiare ipſius cum Deo contubernium, reliquis eminebat. Somni neceſſarii vix tantillùm patiens, quantùm ad corpuſculum continuis vigiliis attenuatum, reficiendum non recreandum ſat eſſet. Cæterùm ſecundùm Deum in honorem Deiparæ fuit effuſiſsimus. Eius dulci alloquio plures horas deuotiſsimè impendebat, Officio vulgari Benedictam, vtriq; Coronam quotidie ſuperaddendo. In illius honorem ieiunia ſiue ſibi ipſe indicebat, ſiue indicta ab aliis producebat. Diebus nomini illius dicatis, ſolenne eidem aſperius cilicium induere, ſicut non nemini palmeum ſtragulum in Paſchate. In hoc erga Dei Matrem cultu vt multus eſſet, illi qui & vitæ religioſè inſtituendæ fuère ipſi duces; Orbis inquam illud miraculum SANCTVS FRANCISCVS, & SANCTVS BERNARDINVS. Quorum ille (vt Seraphici Doctoris vtar non ſolùm teſtimonio ſed verbis quoq;) *Matrem Domini indicibili complectebatur affectu, in ipſam poſt Chriſtum præcipuè fidens, eam ſui ac ſuorum Advocatam conſtituit, & in eius honorem à Feſto SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, vſq; ad Aſſumptionem deuotiſsimè ieiunabat.* Iſtius pariter *vota & preces* *die*

Legen. Conuent.

Pr. Nicol. de Sokol.

S. Anton. Erem.

In Vita S. Franciſ. cap. 9.

Breu. Rom.

die noctuq; in eandem Virginem ferebantur, deuotioneq; illius & gratiâ inflammatus, tenerâ ætate Sabbatho ieiunans, laudabili cursu, quoad vixit perseuerauit. Ad tantorum Magistrorum exemplum D. SIMON. omni tempore in colendâ Magnâ Dei Matre præ se tulit sinceritatem. Quam verò id cordi fuerit Virgini Sanctissimæ, palàm ipsa fecit: Nam se Viro Dei visibili specie pluriès obtulisse, præbuisseq; Cœlestium consolationum gustum, constans est traditio Patrum loci, picturis æuum ferentibus, variè repræsentata. Extant in fronte Cellæ, quam D. SIMON incoluisse fertur, metra ab ipso composita, & sacrâ manu exarata, quæ hîc subijcere placuit. Firmant enim dicta nostra simulq; innocentis verè sæculi indolem loquuntur.

Tu quisquis fueris huius casæ habitator,
Memento quod sis Mariæ Matris amator,
Quod dùm fideliter feceris securus ad astra meabis,
Eximiæ Matri, Proli quoq; gloriam dabis.
Et pro scriptore haud dubiùm feructer orabis.
Si fuit, qui scripsit, mori quem Deus benedixit.
Cracouiæ vixit, multis salutem ac induxit,
Ductor cœcorum, plenus sorde vitiorum,
Attamen cunctorum tractus odore bonorum.
Quem Virgo Regia mundet à crimine pura,
En commissa sibi datur de homine cura.
Hanc veneretur omnis qui sorde tenetur,

Vt

Vt emundetur, cæli quoq; sede locetur.
Fiat sic Amen, quod detur omni solamen;
Sentiant juvamen flentes per sæcula Amen.

CAPVT IV.

Dùm vilis ipse sibi est mundi pede gaudia calcat;
Dùm orat, cælorum vertice summa ferit.

AD feruorem deuotionis reliquarum omnium virtutum præsidia adhibuit, quibus, præcipuè verò humilitate, & candore puritatis, velut alis duabus subnixus, in arcem perfectionis feliciter euasit. Et sanè omnium quæcunq; Deo charę fuêre animæ, potissimùm elaborauit industria in hac virtutum antesignanâ sibi conciliandâ, Humilitate scilicet; sine quâ virtutis tantùm vmbram, ac ne vmbram quidem habuissent. Nam sicut ab vtribus necesse est quicquid aëris intùs latet foràs emittere, vt bonus odor infundatur, sic ab animis euomendus est omnis arrogantiæ flatus, vt suus virtuti relinquatur locus. Altus de se sensus facit, vt vnusquisq; se ignoret, & pluriès *post multos labores virtutis thesauros exhaurit.* Hinc ipsa Veritas, cernens magnis virtutibus perniciosam supercilij tabem vulgò adnasci, ad ipsam de cordibus suorum expungendam, cœlestis paradoxi nec anteà in terris vsurpati, (*cùm feceritis omnia, dicite serui inutiles sumus,*) vim momentumq; Apostolis anxiè instillauit. Altè in suum demisit pectus hoc Salvatoris monitum Sanctus noster; non sibi tribuebat quæ

Sui despicientia.

Plutarch.

S. Chrysost.

Luca 17.

Legen. Conv.

Deo largiente accepiſſet, aut iuuante perfeciſſet, glorificando in omnibus Vnum Patrem Cæleſtem. Laudes hominum æquabat aut fumo oculis inimico, aut Scorpio poſt lenocinantem oris ſibilum caudâ ferire ſolito. Ab illis proindè contendit eſſe procùl; obiectas verò & ſe inuito offerentes, ſui obliuiſcens, ſubitò in authorem omnis boni regerebat. Cultum quoquè corporis innocentiſsimi, ad omnem componebat modeſtiam, vt ex omni parte vilis ipſe ſibi deprehenderetur. Ab altiſsimâ cœleſtium rerum contemplatione colligendo vires, transferebat ad operas, vulgi ſenſu ignobiles, ſed eius modeſtiâ digniſsimas, & vel lignis ſcindendis, vel fingendis lateribus vacare, familiare habuit. Sæpiùs delicati animi faſtidio ſublato, in fætentem cloacam ſe infernè demiſit vt elueret; quodq́ cæteris probrum aut horrorem inducit, ille ſuum decus interpretabatur. Et quamuis in Religione præfici ſæpiùs meruit (nam & munus ſuſtinuit Commiſſarij) id tamen quàm ipſi inſipidum fuerit, niſi totum obedientia condiuiſſet, charitas inflammaſſet, non diſſimulat vetus Scriptor, & eius in officio prędicationis Succeſſor. Sic autem ille: *Honores quoſq́ fugiebat maximè, vt humilitatis cuſtos ſanctiſſima. Si verò obedientiâ adſtrictus ſalutari quandoquè præficiebatur, nullatenùs exindè à recto iuſtitiæ tramite, ſiue humilitatis priſtinæ vtcunq́ digrediens, vitioſos ſi quos reperire poterat ſufficienti præhabitâ maturitate paternaliter puniuit. Stantes autem & de limitibus regularitatis non exorbitantes, benignè & fauorabiliter confortabat,*

Nicol. de Sokol.

bat, nempè morem pij sectatus pastoris, gregem sibi vigilantissimè circumspectans cōmissum à morsibus teterrimarum sollicitè defendebat bestiarum. Neq; aliquandò VIR SANCTVS desijt esse similis sibi; nam vt eundem Scriptorem iterùm in theatrum producam. *Limitibus exulatus sui aduolutus, Fratrem sui circumspectorem, non modò instanter quàm deuotè sepeliendum se deprecatur, sub limine præ foribus Ecclesiæ; nec abs re profectò, vt quoniam in vitâ respectu cæterorum puluerem se existimabat exiguum, in morte quoq; fieret calcaneus eorundem.* Porrò VIR DEI cum hoc modo se reliquis hominibus ex humilitate substerneret, mentis altæ iudicio humana transcendit, gloriæq; prætereuntis imaginem calcauit non inglorius. *Non extinguetur* enim *in nocte* obliuionis *lucerna* Sanctitatis *eius*, & benedicente illo qui *ponit humiles in sublimi*, laudes ipsius *enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum*. Prov. 31. Iob. 5. Eccl. 31.

CAPVT V.

Sic candore niues; cælestia corpora cultu;
Munditie mentes anteit Angelicas.

Virginitatis perpetua decus. *S. Aug. lib. 4. c. 8 de doctrina Christ.*

FLos censetur præcipuus Ecclesiastici germinis, decus atq; ornamentum gratiæ Spiritualis, læta indoles laudis & honoris, opus integrum atq; incorru-

corruptum, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi, quisquis non mentis solum sed carnis quoque puritate, beatarum mentium conditionem antequàm placidè vsurpet in cœlis, hîc fortiter ęmulatur. Talis fuit VIR DEI de quo nobis sermo, *Florem niuei candoris, suarum ab ineunte fasciarum ætate in finem vsque integrè retinens.* Vt verò retineret; quam semel induit armaturam pudoris, nusquam deinceps exuit; circumduxit vallum verecundiæ, murum sensibus opposuit, qui nec oculos eius in alia præter cœlum transmitteret, nec admitteret alienos. Nouerat benè fidem, oculum, castitatem, non ferre ludum citrà noxam. Nouerat colorem hominis perfecti facilè mutari, nisi quis contineat oculos à vanitate, pedes ab euagatione, manus à mollium contactu, cor à terrenorum desiderio. Totus proindè in eo fuit, ne quid in sensum vllum incurreret quod aduersaretur puritati, solitudinis amantissimus, & illis duntaxàt patere solitus, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Et ne quis fidem Historiæ, aut temerarius eleuet, aut rideat dissolutus, apponam antequàm hîc desinam commemorandam VIRI DEI in retinendo congenitæ puritatis candore sollicitudinem. Invaserat Matronam quandam genere æquè ac moribus illustrem, Sexui suo morbus vulgaris, intempestiuum desiderium de propinquo videndi, & in mores Sancti curiosiùs inquirendi, quem non nisi famâ, aut certè ex interuallo, dùm ex suggestu cæteris emineret, fas erat oculis promiscuis vsurpare. Itaque voti impotens, venit ad Portam Conventus formoso stipata comitatu,

Nicol. de Sokol.
Tertull.
Ioan. Gerson.
Max. Sand.
S. Ambr.
Ioan. de Komor.

tu, petitq; à VIRO SANCTO breue colloquium, & quidem, quò faciliùs impetret, obtentu confeſsionis. Monitus eo nomine per Portæ Cuſtodem VIR DEI reſpondet, nihil minùs quàm ſe poſſe mulierculis impendere, aut perſonam quam ſolam ſuſtinebat Prædicatoris, cum Confeſſarii officio confundere. Inſtitit verò illa magis, ſiue repulſæ inſueta, ſiue ſecura SERVI DEI conſtantiam vel ſolâ importunitate prætenſæ pietatis expugnatum iri. Et ceſsit quidem ille tunc ex parte importunitati, non tamen videndum ſe Fœminæ conceſsit. Vicinus enim portæ ipſam peſſulo ſuperinducto claudi imperat, ne plùs vltrà quàm audiri poſſet pateret. Sic mulier cùm totum vellet, vix vocem hauſit; nec ipſam totam, quia intrà obſtantis parietis receſſus penè ſuffocatam. Quanquam iugulandæ leuitati ſuffecit. Nam Magnifica illa ſollicitatrix primùm intrà ſe confuſa, mox reuerſa ad cor, cui non nihil illuſerat, deinceps venerata eſt ſinceriùs ſanctitatem. Quiſquis hæc leges puritatis amans, diſce vt claudas vas tuum ne vnguentum effluat, claude virginitatem verecundiâ loquendi, & abſtinentiâ gloriandi. Etiam ſub ſpecioſo prætextu ſpiritualis neceſsitudinis, informia præcipitia latent; & ab incautis inſidias pulchras ſæpè contingit, non præuideri priùs donec inuoluant.

S. Ambr. de Virg.

CAPVT

CAPVT VI.

Militiæ species Vita est, de carne triumphos Voluit; si cessas vincere victus abis.

Carnis maceratio.

TRitum est in Scholâ Medicorum, omne dulce esse obstruendis impediendisq; visceribus aptum; & curandis repletionibus amara pharmaca propinari, non dulcia; Idem in Christi Scholâ vsu venit, in quâ oportet (inquit Hipponensis Ecclesiæ decus,) vt intelligat homo medicum esse Deum, & tribulationem medicamentum ad salutem. Solus in delicijs Salomon fuit, & ideò forsan corruit! Vndè Viri Sancti, cùm aliundè cessarent, ipsi sibi admovebant doloris instrumenta, hoc ipso non calamitosi, sed fortes. Euigoratur altâ pace militum industria; sic, quotquot Spirituali militiæ inserti, nisi fortibus pænitentiis excitentur, languescunt. Nec fidendum carni quantumuis se substernat animo. Si desinas ferire, subitò insolescit. Asinum cogita, animal mite quidem & ad laborem natum, sed nisi stimulis cogas ad officium, negligit. Carnem sortitus erat moratam benè SANCTVS NOSTER, cui animus non tanquam pars adhæsit, sed vt Princeps præfuit. Carni tamen non fidit, cui à libertate ad interitum transitus facilis. Cogitabat illas apud Magnum Augustinum Cedros Dei, Ecclesiæ luminaria, Duces gregum, qui dùm minùs timent, grauiùs labuntur. Apprehendit itaq; disciplinam, vt non periret in viâ iustâ. Præcinxit cilicio lumbos suos, nec refibulauit aliquandò, nisi quandò superinducendum esset asperius. Humiliabat in ieiunio

S. Aug in Psal. 21.

S. Hier. ad Eust.

S. Aug. de Cobab. Cler. & Mul.

nio animam suam. Puniuit fletibus culpas, non quas in se deprehenderet, sed quæ displicebant in aliis. Non laudes, rem narro. Et ne per communia & generatim diffusa semper incedam, appono singulare. Erat in Conventu senticetum, formicarum, pulicum, & huius generis similium ferax, Purgatorium vulgò dicebant. Huc sæpius VIR SANCTVS clàm ventitare, & postquàm putredini dixit, *Pater meus es tu, mater mea & soror mea vermibus*; illis se detractâ veste permiscere; Imitatus cõsummatę patientiæ speculum Sanctũ Iob, qui non dispari indole deliciabatur in sterquilinio. Nisi quòd iste vermes testâ siue lapide radebat, noster concitabat in se. Et fortè ille cùm linteum non deesset petram potiùs adhibuit, quia in petrâ Christum (*Petra enim erat Christus*) oculis propheticis vsurpauit: alter eundem Christum, qui se non hominem sed Vermem alicubi nominat, fæliciùs inter vermes quæsiuit, quia re ipsa tenuit, nec dimisit aliquandò, *ponendo* ipsum *vt signaculum, super cor suũ, vt signaculum super brachium suum.* Ipsius societate delinitus tot in unum coëuntium morsibus bestiolarum peti diutiùs sustinuit, moueri ne tantillùm. Vibrabant illæ aculeos vt ferirent, aperiebat iste os suum vt pro illis Conditori laudem ferret. Cessantibus à morsu bestiolis carni innocẽti, seu insuetis, seu parcentibus, superinducebat nodosum è funiculis tormentum, nec retrahebat fessam ictibus manum, antè illud spatium, quantum Psalmis quorum apud pœnitentes vsus, non perfunctoriè percurrendis impendi vulgò solet. Sic ille in medijs quoq; sordibus, aram extruebat puritati. In illâ cor suum immaculatum

Leg. Conv.

Iob. 17.

Cos. Mag. lib. 4. in benedict. PP.

1. Cor. 10.

Psal. 21.

Cant. 8.

tum charitatis excitato igne adolere; masculum orationis thus accendere: carne laceratâ velut mactatâ hostiâ placamentum, facere Domino solens. Petitus piâ adulatione Fratrum, qui monebant vt subindè indulgeret, nunquàm quiescenti corpusculo, ille digito sepulchrum monstrauit, subijciens nimiùm in eo quietis imminere corpori; interim redimendum esse tempus, neq; cessandum à negotiatione, vt reportemus promissiones.

Matt. de Vars.

Eph. 5.

CAPVT VII.

Commendat virtus homines, patientia cunctas Virtutes: Vnam hanc qui tenet, Astra tenet.

Affectuum moderatio.

MAgna hæc sunt quibus vnam carnem domuit, maiora per quæ dispersos variè animi motus compulit in ordinem; æqualis sibi semper, & cœlo vltrà nubes & suprà ventos tranquillior. Nulli in ipso inuidiæ turbines, nulla irarum fulgura, aut truces in vultu nebulæ, nisi quandò *concrescebat in pluuiam doctrina eius, aut fluebat vt ros eloquium ipsius.* Lętis non insolescebat, inter adversa cogitabat neminem verè esse beatum, cui non incumbit patiendi necessitas, *virtus* enim *in infirmitate perficitur.* Quotquot omni sæculorum memoriâ, Sanctitatis luce Orbi fulserunt, ijsdem alieni liuoris vmbra semper illusit; & vulgò quò manus prorepere non possunt, linguæ audent. Ipsa Diuinitas voces contrà se audit, & sustinet. Neq; VIR DEI hac in parte plus fælix. Virtutes eius qui non ferebant, oderant. Et fortassè suorum murmur, familiare Claustris malum leuius

Leg. Conv.

Deut. 32.

2. Cor. 12.

uius euenisset, sed exterorum quoq; patuit conuicijs. Multi mores ipsius innocentissimos sugillare, inediam, flagella, in suspicionem trahere vanitatis, prædicandi gratiam non ad profectum audientium, sed aliò flectere. Sed sicut nulla sagitta in solem cadit, quantùmuis mille proijcias, ita VIR DEI frustrà est oppugnatus, nescius moueri. Inter cætera quibus VIR DEI præibat omnibus ad pietatem, fuit tenerrimus affectus ipsius erga tremendum nomen IESVS. Hinc quoties ex suggestu erudiebat ad justitiam Populos, in fine sermonis idem Nomen dulcissimum (quò altiùs infigeretur cordibus auditorum) ter desertâ juxtà ac deuotâ voce, resumente populo inuocare, familiare sibi fecerat. Materiam interpretationibus nacti, qui de pietatis profectu iudicare aut facere eundem rudes, rem ad Præsides Sacrorum deferunt, quasi oleret perniciosam nouitatem. Monitus VIR DEI, vt in Sacro amplissimi Capituli Cracouiensis consessu compareret, sistit se Concilio nihil minùs cogitans quàm se impietatis aut erroris ad publicæ animaduersionis censuram exigendi peti. Et vbi antè omnia, pro suo & Religionis more, aduolutus pedibus cunctorum deprecatus est humiliter culpam, cuius non fuit capax: Patres mox subijciunt, non esse in obscuro vitæ & morum ipsius integritatem, displicere tamen sibi quòd rebus nouandis studere videatur, vsurpando in Concionibus ternam absq; exemplo nominis IESVS inuocationem; cùm exquisita privatorũ pietas, sæpiùs causam dedisse in Ecclesiâ factionibus & diuisioni fuerit deprehensa. His auditis VIR DEI, non suum sed DEI honorem illa accusatione verti animaduertens, sui proriùs immemor, totus in-

Ioan. de Komor. & Franc. Gonz.

ſtar Heliæ in ignem, ſed qualem ſuggerit cœlum abijt,
Eccl. 48. & *verbum eius quaſi facula arſit.* O bone (inquit) IESV! ô ſuauiſsime IESV! Quid eſt quod no-
Pſal. 18. men tuum faſtidio eſſe incipit, quod eſt *dulce ſuper mel & fauum?* Cur vſurpari prohibetur, cùm ſcri-
Ioel. 2. ptum ſit, *omnis qui inuocauerit nomen Domini*
Actor. 9. *ſaluus erit?* An non iſtud *nomen coram gentibus & Regibus & filiis Iſraël portare* iuſſus eſt Vas
ad Phil. 2. Electionis? *Nomen* (inquam) *quod eſt ſuper omne*
Coſ. Mag. lib. 4 in benedict. PP. *nomen.* Quod Beniamin Chriſti in ſuo breuiſsimo quantumuis omnium Euangelico Codice, pluſquàm ducenties vicies repetijt. Cuius Doctor Gentium in
Card. Bar. Tom. 1. Annal. ad An. D. 69. ipſâ cum morte luctâ tenax, iamq; capite minor, ter IESVM dùm nominat, tribus Fontibus originem prodigioſam & indè nomen in Vrbe celebre dedit. Quod deniq; quia in ore dùm viueret habuit ſemper Deifer Ignatius, ideò poſtquàm viuere deſijt, in inti-
Thea. Ma. Tom. 4. ex Sur. mo cordis receſſu aureis punctis tanquam ſtellis diſtinctum præſeferre meruit. Fremat licet mundus, dicam quod ſentio. Aridus eſt omnis animæ cibus, ſi non
S. Bernardus. iſtius ſalutaris Nominis oleo perfunditur: inſipidus eſt ſi non iſto ſale conditur, ſi ſcribas non ſapit mihi niſi legero ibi IESVM. Si diſputes aut conferas non ſapit mihi, niſi ſonuerit ibi IESVS. Moriar ego viuat IESVS. IESVS mel in ore, in aure melos, in corde iubilus! In hunc modum diſſerente VIRO DEI intuebantur omnes vultum eius, tanquam vultum Angeli ſtantis in medio, deindè non expectato ſuffragiorum cenſu, vno omnium ore pro vituperio plauſum tulit; ſollicitatus prætereà ad plura audendum pro glo-

riâ Nominis sæpiùs nominati, nunquam celebrati satis. Cæterùm vt conuitium sic laudes infernè non admisit, mirabili pugnantium affectuum temperamento, cuius constans sibi semper in vultu color, fuit index.

CAPVT VIII.

Anxius omnis amans; terrarum circuit orbem,
Vt capiat captus cuius amore fuit.

QVasi omnem prorsùs patientiæ virtutumq; cæterarum materiam domi obuiam exhausisset, egreditur foràs VIR DEI, similis Euangelico negotiatori, quærenti bonas Margaritas, & in vnâ plùs preciosa subsistenti: quod ad scientiam Salvatoris & resurrectionis arcanum ingeniosè refert Sanctus Hieronymus, alij ad charitatem sine quâ nihil alicui prodest, quodcunq; habuerit. Quantam vim amoris erga Deum & proximum collegerit intrà se SERVVS DEI, vel hæc Sacra de quâ nobis Sermo peregrinatio luculenter prodit. Charitas ad iter calceauit in præparationem Euangelij pacis pedes eius, diuiam in publico non deprehensos. Amoris vehementia, à quietissimâ cœlestium rerum consideratione, mentem ægrè abstraxit; & hæc ipsa corpusculum vix ossibus hærens, nouis longi æquè ac molesti itineris incommodis obiecit. Ergò partim desiderio Martyrij properat ad locum, vbi caput Martyrum pro ijs quos vt alteros se diligebat animam posuit; partim spe lucri Christo faciendi animas quarum interitus cordolium excitauerat in VIRO DEI transgreditùr ad Gentes.

Peregrinatio Hierosolymam.

S.Hier. in c. Matt.13. S.August. Tract.5. in Epist. Ioan.

Scio multos corripi peregrinandi prurigine, sed fine non vno. Noster præter DEI gloriam, & proximorum ædificationem ad aliud respexit nihil. Hinc non solùm Superiorum Ordinis, sed ipsius Verticis Ecclesiæ authoritate & votis accingi ad iter meruit. Antè iter susceptum *Regulam Franciscanam, cuius fuit zelantißimus memoriæ mandauit, vt si fortè manu scriptam quam semper secum habebat, sæpiùsqué lectictabat sibi à Saracenis auferri contingeret, altera in memoriâ sculpta superesset, ad quam tanquam ad Lydium lapidem suas actiones exploraret.* Comitem viæ adhibuit moribus suis non absimilem, & sanctitatis quoq; opinione celebrem, B. Tiburcium Szrodanum. Priùs verò Sanctitatis omnis arcem Romam, antequàm Hierosolymam adire officij necessarij duxit, Limina Apostolorum & Christi in terris Vicarium deuotè cum Socio veneratus, ad adorandum loca Christi sanguine purpurata gressum mouit. Quidquid loci nos inter, Romam, & Palæstinam interest, nudis pedibus, viatico suffultus nullo, vterq; emensus est; memores verborum Domini, qui parùm existimauit, si tantùm possessionem lautioris substantiæ Discipulis auferret, nisi etiam peram ipsam acturo longum iter Apostolo sustulisset, & vnius eum tunicæ singularitate, insuper calceamentorum interdicto mulctasset. Quanta porrò toto sacri istius itineris decursu oportuit ipsos pati, dùm Christum & hunc crucifixum, inimicis Crucis magno animo vbiq; prædicarent, & in eiusdem nomine (quod tantoperè infidelibus

Fran. Gon. Part. 2 fol. 464.

Matth. de Vars.

Matth. 10.

Salui li. 2.

delibus cor sauciat) stipem necessariam corrogantes, alienum limen tererent, liberum cuiq; suspicandi sensum modestia ipsorum reliquit. Neq; enim nobile istud par Fratrum, testem alium admisit suarum actionum, prćterquàm illum, cui patebunt cordis abscondita in die novissimo. Videor autem inter currendum audire concinnentes Benedicimus Regem Cœli, *qui perfecit pedes nostros tanquam* Psal.17. *Ceruorum ut super excelsa statuat nos. Ah! Quandò veniemus, & adorabimus in loco vbi* Psal.13. *steterunt pedes eius? Num quem diligit anima* Cant.2. *nostra vidistis? Indicate nobis vbi pascit, vbi* Cant.1. *cubat, in meridie? Fulcite nos floribus, sti-* Cant.2. *pate nos malis, quia amore languemus.* Sed ecce deueniunt tandem per casus varios in terram, cui benedixit Dominus, & post consalutatum reuerenter Bethleemiticum Prćsepe, Salutaresq; Cunas, Montem in quo DEVS passus per vnionem, cùm per naturam non posset, humiliter adorant; indè ab v- S. Aug. bere, hinc refecti à vulnere. Liquefiebat anima VIRI DEI à multitudine prodigiorum, quć fecit Altissimus in terrà illâ, non solùm lactis & mellis in filij Dei nativitate, sed sanguinis quoquè à Sacris eiusdem vulneribus diuite. Et quamuis dudùm mysteria vitć & mortis Salvatoris altissimè cordi impressa vbiquè circumferebat, tamen loci illius sensibili dulcedine delibatâ & degustatâ intimiùs, mirabiles tunc in ipso cœlestis incendij effectus excitarunt. Iam ab eo momento viuebat ille non ampliùs ille, sed Christus in illo; plùs solitò Crucifi-

xo suauiter commori, & corpus tanquam aliud à corpore sensibus orbum proferre in sublime visus, tàm procul à terrâ, quàm ipse propiòr mente Dilecto qui suprà cœlos. Omne opus eius inusitatâ charitate arsit, sermo passione Agni & Sponsi rubuit, atq; adeò *omnis eius conuersatio videbatur esse in cœlis.*

S. Bernar. de Paß. Do. cap. 31. ad Phil. 3.

CAPVT IX.

Frustrà quæsisti; latet intrà Sponsus, & illi
Hocce tuum semper COR mirotheca fuit.

Reditus in Patriam.

SPe martyrij quod semper animo voluebat præcisâ sibi in Palæstinâ, seriùs in patriam Dei spiritu impellente revertitur. Redux, Cracoviæ ingenti omnium lætitiâ exceptus est, præsertim quos ipsi par vitæ innocentia & gloriæ Dei proferendæ studium, arctiùs devinxerat. Multos verò tales in eâ tunc Vrbe (quæ ideò Pantheon seu omnis Sanctitatis nidus audire meruerat) floruisse, non dissimulant priuata diversarum Congregationum diaria. Vulgò tamen Quinq; attolluntur; non quòd plures eiusmodi tunc abessent, sed quia iam latent. B. IOANNES CANTIVS *S. Theologiæ Doctor & celebris Academiæ Cracouiensis Professor, Vir vitæ sanctitate, atq; omni innocentiâ conspicuus, interq; plurima miracula precibus & meritis ad Deum suis plurium mortuorum resuscitator magnificus.* B. SVENTOSLAVS *Mansionarius B. M. V. in Circulo Cracouiensi vltimarum voluntatum exequu-*

Ada Opat.

Matth. Vbiß.

exequutor, visionum cœlestium contemplator ac perpetuum silentium in vitâ seruans. B. MICHAËL *Ordinis S. Mariæ de Metro apud Sanctum Marcum plurimorum miraculorum patrator clarissimus.* B. STANISLAVS *Casimiritanus Canc. Reg. Ord. S. Augustini, Casimiriæ ad ædem Sanctissimi Corporis Christi plurimorum infirmorum curator, mæstorumq; consolator proficuus.* Et B. ISAIAS Ordin. Eremit. S. August. à morum doctrinæ & signorum gloriâ eruditis piorum calamis daturus semper materiam. Horum Cœlestium Virorum necessario alloquio postquàm ex itinere temporis aliquid impendit VIR DEI, vix deinceps alicui patuit. Nam *quamuis eorundem Sanctorum Virorum iucundo aspectu frui sæpiùs cupiebat, Religionis instituta & cura rerum Divinarum obsistebant.* Animo tamen semper hæsit in admiratione excelsarum virtutum quas in ipsis velut in exemplari, sibi omni conatu æmulandas proponebat. Non quòd earum diues non fuerit; sed vt ab æmulatione sumerent robur. Itaq; erga omnes benignus sibi mutatus in crudelem, solitudinem religiosiùs coluit. Nihil austeritatis poterat ab aliquo excogitari, quod ille in se aut non prior exerceret, aut resumptum ingeniosâ pietate, non plùs sæuire faceret. Vitæ tamen communis, quod quis iure miretur inter exquisitas etiam pœnitentias semper tenax, quò maiorem se abijciendi in oculis omnium haberet opportunitatem. Vestis illi qualis cæteris omnibus quibus cum

Idem Vbiß.

Legen. Conv.

cum vixit, nec aspera nec culta nimis: vt sævientem aliundè in corpus vestis horror non proderet, & tamen vestis eiusdem lenitas durare quàm mulcere aptior, præseferret paupertatis altissimæ arcanam maiestatem. Est in magna veneratione ad hunc diem, quia virtus sæpiùs exit ex illâ, Rectoribus tenebrarum infesta, salutaris hominibus. Porrò non sibi duntaxàt vt prodesset solitudinem elegit: Sed *vires corporis & animæ pro salute Christicolarum libens exponebat, animarum zelotypiâ succensus, ne videlicet tàm nobilis creatura, imagine Dei insignita & Christi precioso sanguine redempta aliquatenùs tetris obuoluta criminibus, nobili & amabili sponso Christo Iesu redderetur detestabilis. Vndè Verbi Dei pabulo feruentissimus reficiebat easdem sedulò. Et reuera dicam innumeras Tartareis eruens faucibus animas, cælo reddidit per vitæ emendam. Quandoquidem Religiosi multi effecti, quorum nonnulli cohærentes eius Habitui adhuc extant viui, quidam autem pœnitētiam agebant sub Habitu sæculari, siue alterius cuiuscunq; Cœnobij, corde compūcti; & eius admirandis prædicationum eloquiis, imò etiam diuinis sacrorum exemplis morum, quibus apprimè refulsit, profluebant planè saxosa pluuium & arida corda, in guttas lacrymarum vberes, imbre compluta cœlesti, ab eiusdem ore sacro in eos manante; ac ipsa quoq; carnalia seu*

Nicol. de Sokol.

mundia-

mundialia in promptu deuitata, Christo reddebantur firma charitate vnita. Monstratur in Archiuo Conuentus Cracouiensis Codex molis iustæ, totus VIRI DEI manu exaratus in quo eius ignita vehementer eloquia, nisi hominem homo penitùs exuat, facilè sentit, quicunque vsurpat. Cæterùm è multis qui ab eius diserto ore pendebant & disciplinâ, Tres maximè per traducem pietatis laudem famosi. B. IOANNES DVKLANVS, B. LADISLAVS GELNOVIVS, & B. RAPHAEL PROSSOVICIVS. Singuli tantùm isto Doctore profecerunt, quantùm postea ipsorum declarauit sanctitas, à fide Annalium, continuâ miraculorum serie, & conscientiâ Gentis nostræ hominum, exigenda. Eam separatis voluminibus includere frustrà tentarunt nonnulli; nam semper occurrit, quod semper addant; Et dùm hæc scribo properat ad finem BB. Ioannis & Ladislai vitæ & miraculorum examen, authoritate Summæ Sedis in formâ (vt vocant) probante institutum. Nec ambigitur, debitis breui ab Ecclesiâ Vniuersali cumulandos honoribus, quos instar Ciuitatum refugij, Ecclesiæ Septemtrionales expertæ sunt pluriès proficuos Patronos. Sed de hoc fælici Ternario non plùs; ne ex eius causâ alia dicantur, cuius omnia dicere propositum est nostrum.

CAPVT X.

Miro conſpirant cum rebus fœdere verba;
Exemplo Chriſti, quæ facit illa docet.

Monita Salutaria. Matt. 12.

SErmo eſt interpres mentis, & vulgò *ex cordis abundantiâ os loquitur.* Hinc cum geſtis præclarè dicta confundũtur, pari virium in animos capaces æſtimatione. Informant præcepta, firmant exempla, digna vtraq; Cedro, ſi ad virtutem. Non erant itaq; citrà iniuriam prætereunda quæ ab ore Viri Dei hauſta; ad nos vſq; transmiſit, accurata ſingulorum adnotatrix Antiquitas. Quanquam BEATVS SIMON plura in vitâ geſſit quàm dixit; imitatus geminas omnis perfectionis ideas, Saluatorem ſcilicet os ſuum in parabolis poſt triginta primùm annos aperientem, & eius Glorioſam Matrem, quam non plùs quinquies locutam produnt Euangelici Codices. Murmur ad menſam multorum malorum fomitem, vbi ſerpit impunè, ita ſuauiter ſuſtulit. Repetebat ſæpiùs familiare ſibi monitum. *Frater caue, ne ſis Prælatus, Coquus, Medicus;* id eſt; ne tibi aſſumas partes Prælati diſtribuendo promiſcuè alijs, quod tibi aſſignatur; Coquinarij aliter condiendo; Medici oblata refutando, obtentu non boni nutrimenti aut ſaporis. Rogatus à quodam Fratre artem rectè proficiendi in prædicationis munere, tribus verbis omnem acutè inuoluit, ſubijciens: *Ora, labora, deſpera.* Ora, Deum deprecando; labora, ſcripturas uoluendo; deſpera, arrogantiam declinando. Peſte grauiùs Cracouiæ ſæuiente, cùm pleriq; in Dei bonitatem vocibus blaſphemis

B. Raph. Proſſ.

Ioan. de Komor.

phemis iniurij essent, ille flagellum hoc Dei mitissime interpretabatur vocando IVBILEVM ELECTORVM. *Nicol. de Sokol.*
Nouitiorum quandò ipsis præesse contigit, ita explorabat constantiam. Ardentes prunas nudis pedibus calcare vnumquemq; iussit. Qui titubabat, reijciebatur; alacritatem qui præ se tulit, tanquàm non indignus Sancto Sodalitio, inueniebat gratiam in oculis VIRI DEI. Narrat P. Ioannes de Komorovvo, vnum è multis sic ad ignem examinatum, sibi verò familiaritate intimum; quòd vbi ad nutum VIRI DEI oblatos carbones pedibus præcox subiecit, quasi rosas aut violam pressisset, subitò sensit mutationem Dexteræ Excelsi, truci elemento delicias non suas ingerentis.

CAPVT XI.

Sydere vt augeret cœlum terrena reliquit;
Cælestem terris mittere promptus opem.

FRustrà velociter currit qui priusquàm ad metas venerit deficit. *Sic currite* (inquit Apostolus) *vt comprehendatis.* Itaq; ingressus semel consumatæ virtutis orbitam Vir Dei, non respexit aliquandò retrò, neq; declinauit ad dextram aut ad sinistram, sed apprehendens iustitiam, *induit eam tanquam Poderem honoris*, & *ideò in die agnitionis inuenit firmamentum.* Iam paulò antè innui de peste Poloniam tunc peruadente. Densabantur vbiq; funera, citrà vllum sexus, ætatisue discrimen. A quibus ipsa contagio procul, metus terrebat vniuersos

Transitus ex hoc mundo.
1. Cor. 9.
Eccl. 27.

uersos

uersos; eò quisque fælicior, quò latuit plùs. Sacerdotes Sacris, Sacra Altaribus destitui, ad cumulum publicæ calamitatis accedebat. Cæterùm Vir Dei contumax aduersùm spes aut metus, cernens multam messem, operarios autem variè dilapsos, suscepit magno animo intermissam ab alijs, iuuandi properantes ad interitum animas, prouinciam. Infert se in mediam feralis illius incendij flammam, prædicat omnibus opportunè, importunè, annum Domino placabilem, clamat nec cessat cum illo fideli Consiliario. *Si reuersi fueritis ad omnipotentem ædificabimini, & longè facietis iniquitatem à tabernaculis vestris, dabit pro terrâ silicem, & pro silice torrentes aureos.* Euenit autem, quòd *finito memorabili egregioque sermone celeberrimæ Octauæ Visitationis B. Mariæ suæ zelotissæ visitatus & ipse est à Domino, vlcereque pestilentico torquetur acerrimo super scapulâ sinistræ manus. Cui tanta inerat feritas vt quod de carne vno die rubrum videbatur, altero denuò superueniente, consumptum ab igne vlceris nigrefiebat.* Cùm tantùm in corpus posset, animi immortalitatis gaudium iam delibantis constantiam, ne quidem attigit, exquisitus adeò dolor. Hunc quasi ad se parum pertineret VIR DEI non tàm non sensit quàm contempsit; timidus, ne vel viuendum sibi adhuc esset, aut dolendum minùs. Opportunè sub id prorsùs tempus peruagatus totâ Vrbe rumor de Seraphico Doctore Vniuersalis Ecclesiæ placito Diuis recens adnumerato, auribus SERVI DEI adlabitur. Pulchram is dedit materiam

Iob. 22.

Nicol de Sokol.

Leg. Conv.

nouo

nouo gaudio nouisq; votis VIRO DEI. In alienæ sanctitatis elogio, suum iam decus intuebatur, & vitæ aliàs prodigus, vitæ inducias à Deo poposcit, quantùm vni duntaxat panegyri in laudem noui Sancti per ipsum cogendæ satis esset. Sed Deo ordinante aliter, fatalem horam imminere sibi VIR DEI sentiens, totum se ijs pietatis exercitijs dedit, quæ mentem quantociùs coniungerent suo primo principio, vndè venerat. Moram faciente Sponso, differente scilicet præmium, quò cumulatius redderet, ille tantò plùs arsit desiderio potiundi, quem solum dilexit; nec voluit consolari quia nondùm veniebat. Dùm sic in Christum de Cruce pendentem oculis defixis à cælestium contemplatione nihil prorsùs remittit, monitus à suo Curatore voluntatis Superiorum, reficeret modico cibo euigoratum corpus, in promptu esse piscem, quem ipsi sollicita nonnullorum de eius incolumitate pietas transmiserat, annuit, insolens non obsequi. Sed vix ori admouet oblatum piscem, videt illum qui circuit quærens quem deuoret, sub laruâ coquinarij piscem exsquammantis. Olfecit facilè astum inimici ad turbandam quietem nihil sibi consciæ mentis plurimùm intenti. Ergò intrepidus inuehitur in spectrum illud. Vade (inquit) retrò Sathana, nihil in me funestè reperies. Si lautiùs solitò epulari tibi videor, Maiorum voluntatem in caussâ esse scito, non meam libidinem. Piscis iste non est gulæ irritamentum, sed obsonium obedientiæ. Quidquid Deus non est, mihi pridem sordet; ad hunc solum inquietum est cor meum, nec quiescet, donec perueniat ad eum. Dixit, & veteratorem in indignationem simul, & fugam dedit. Iam contemplamini mecum oculis mentis

Ioan. de Komor.

VIRVM DEI, (quia languor vrsit) in accubitu asseritio, stramine modico instrato, colligentem membra, sed cuius humilitatis nardus cum Regio accubitu suauitate certabat. Dulces gemitus, mellea suspiria, quia amoris & desiderii myrothecium illud cœleste absque intermissione efflabat. *Veni*, clamabat *dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloque ceruorum*, veni & introduc me in paradisum gaudij æterni. *In nidulo meo moriar, & sicut* Phœnix *multiplicabo dies meos. Cupio dissolui & esse cum Christo!* Sic orans cœlo quæ fuit patria sua, quia Virginitatis, proximus fit, *sextoque die sui decubitus soluens vitæ debitum mortalis, terminum conclusit exiliatæ carnis: Assumptusque è medio felix iste Domini Seruus super pauca sibi commissa talenta fidelis, pergit super multa iam in æuum constituendus, pro suisque laborum conatibus extunc condignè remiandus. Anno salutis Millesimo Quadringentesimo, Octuagesimo Secundo, sub die quinto decimo Calendarũ Augusti, siue Feriâ quintâ in crastino S. Alexij, horâ quasi decimâ vltrà citrà.*

S. Ber. Ser. 42. in Can.

Cant. 2.

Iob. 29.

ad Phil. 1.

S. Amb. de virg.

Nicol. de Sokol.

Videns qui moribundo adstitit Fr. Ioannes Laicus Bohemus, quòd sic orans expirasset, nec tàm obierit quàm cupidus migrauerit ad immortalitatem, post disuauiatum millies Sacrum Corpus, manicam vestis eius dissuit, illique fragmento cultum SS. Reliquijs peculiarem, religiosè impendit. Expertus porrò non inutilem sibi eam esse pietatem (præueniri quippe ab eo tempore varijs de cœlo benedictionibus meruit) non

Ioan. de Komor.

non prius de conceptæ semel deuotionis affectu aliquid remisit, donec totum cum vitâ exuit.

CAPVT XII.

Ad tumulum Sancti concurritur vndiq; certat
Cum pietate salus, cumq; salute stupor.

AD justa deindè properatum est, licet magnitudo nominis tanti moram longiorem poscere videbatur. Sed cùm desiderium & communis omnium veneratio dimittere adhuc totum terris nollet, temporis calamitas eadem quæ cœtus hominum coire in vnum vetabat, pompam etiam funeris accelerauit. Itaq; *eodem die quo decessit in Ecclesiâ Sancti Bernardini penès Cracouiam vbi pro tunc Prædicatoris explebat iniunctum sibi officium corpus ipsius omni veneratione dignum ante maius Altare præfatæ Ecclesiæ contrà medium, inter duos alios Fratres meritò certè præfulgidos; Fratrem videlicet Thimotheum de Syluano ex vnâ, & Fratrem Bernardinum de Zarnowiec partibus ex alterâ terræ extitit commendatum.* Funus quibus deducere integrum non fuit, ab his ex interuallo certatum votis quæ cœlo fuisse grata, exitus postea commendauit. Dies non plùs quatuordecem à suo obitu effluxêre intra quos Tres Clericali notâ insigniti, & iam animam ob pestiferam conceptam in visceribus luem acturi, votis ad Diuum nuncupatis, simùl cùm decumberent, reualuerunt simùl,

Quæ mortem consequuta.

Nicol. de Sokol.

Matth. de Vars. & Matth. Vbiß.

ſimul; & Puer bis mortuus, toties reanimatus. Creuit cum tempore, non numerus tantùm ſed magnitudo quoq; prodigiorum, in quibus longo ordine recenſendis accuratum nomenclatorem agit Pr. Nicolaus de Sokolniki. Ad hunc cupidum talium remitto; ego promiſſi memor, ne vltrà quàm indicium dem eorum quibus celebrandis pro merito, par non ſum, feſtino ad alia. Effundebatur non ipſa ſolùm Ciuitas ſed Regnum vniuerſum ad venerandum Tumulum eius; cuius illuſtriorem portionem præmiſerat in cælum peregrinatio noſtra, quò prodeſſe ibi tantundèm poſſet, vt vellet. Et cùm neq; loci anguſtioris ambitus capere tantum concurſum, neq; tumultuantis Populi preces inconditas, Fratres in Choro Domino pſallentes ferre poſſent, de transferendo indè Sacro pignore in auguſtiorem templi partem ad Sanctam Sedem referunt. Præerat tunc Eccleſiæ INNOCENTIVS VIII. P.M. apud quem innocentis vitæ DIVI NOSTRI & miraculorum ex fide publicâ recenſita ſeries, ad eliciendum primum Sanctitatis fumum ſatis fuit. Preces indè Fratrum admiſſæ; Translatio decreta; Diploma deſuper compoſitum in hunc qui ſequitur modum.

Dilectis Filiis Vicario & Fratribus Ord. Min. de Obſer. Prouinciæ Polonæ pro tempore exiſten: Salutem & Apoſtolicam benedictionem.

Sacræ veſtræ Religionis ſub quâ deuotum & ſedulum exhibetis Domino famulatum promeretur honeſtas, vt votis veſtris, illis præſertim, per

per quæ diuinus cultus augeri, & fidei Christianæ religio propagari valeat, fauorabiliter annuamus. Vestris igitur supplicationibus inclinati vt corpus Fratris Vestri P. SIMONIS LIPNICII MIRACVLIS CORVSCANTIS in choro Ecclesiæ Conuentus Vestri sepultum, propter quod concurrente multitudine Christi fidelium vtriusq; sexus ad dictam Ecclesiam, pro implorandis Diuinis auxiliis intercessione prædicti Patris sepulti, de diuersis Partibus confluentium, in Horis Canonicis recitandis non modicum sicut accepimus recipitis detrimentum, & deuotiones vestræ minuuntur, de Choro Ecclesiæ huiusmodi in quo sepultum iacet ad alium locum Ecclesiæ eiusdem decentiùs & conuenientiùs, noctis tempore vel aliàs clandestinè absq; pœnarum seu Censurarum Ecclesiasticarum incursu transferre, & in loco decenti & honesto, sicut profertur reponere poßitis, tenore præsentium licentiam elargimur. Non obstantibus quibuscunq; aliis Ordinationibus Apostolicis in contrarium facientibus. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris 12. Iulij Anno Domini 1487, Pontificatus nostri Anno Tertio.

HIERONYMVS BALDARINVS.

Celebrabatur Cracouiæ Conuentus Prouincialis Fratrum, quandò expetitum tantoperè Rescri-

ptum, ab Vrbe venit. Peruasit verò simul animos omnium incredibilis oblectamenti spiritualis sensus, Supremâ Sedis Sanctæ authoritate, ad vota publica se demittente. Iam plùs ab eo tempore licere sibi rata, multorum hactenùs timida pietas, omnes in ornando SANCTO nimios esse contendebat. Sed obstabant Fratres, vltrà Apostolicarum litterarum elogium amplioris venerationis obsequia, Populo necquicquam flagitante, non admittentes. Ergò solis Fratribus monumentum intrantibus, sublatum est indè reuerenter Corpus Sacrum, & ijsdem Fratribus succolantibus in augustiorem vbi & nunc visitur loculum transportatum. Eminet suprà lapidea statua, & pro versibus quos vetus Historiographus narrat, substituta recentior inscriptio.

Matth. Miech.

AD OPT: & MAX: Dei laudem & gloriam Mausoleum istud dedicatum est, B. SIMONI de Lipnica. Viro vtiq; ante omnia in Ordine Minorum Religiosissimo, Sanctissimoque. Deindè verò augustissimi nominis Iesu præ-

prædicatori feruentiſſimo, tùm vitâ ac præcipuè virginali caſtimoniâ integerrimo: Deniq́ue innumerabilium penè prodigiorum ſingulari prerogatiuâ longè latèq́ue clariſſimo. Migrauit è vitâ Anno Domini M. CCCC. LXXXII.

Cæterùm cùm ad eius Sepulchrum verè glorioſum nunquam deeſſent, qui vota ſiue pro acceptis beneficijs exoluerent, ſiue pro nouis nuncuparent, ſolitò tamen maior turba de Ciuitatibus confluebat ſemper, die in orbem redeunte, quâ non ambigitur, dilectus Deo & hominibus B. SIMON pompâ triumphali Cœlum inuectus. Solenne ſtatim ab eo tempore Fratribus, cum thure, floribus, cerâ, Cineri ſacro reuerenter affundi, votisq́ vota trudere. Dulce vndiq́ murmur, & *exaltationes Dei in gutture omnium,* Pſal.149. *quòd beneplacitum eſſet Domino in* Seruo ſuo, *&* *quia exaltauit manſuetū in ſalutem.* Retinens in hunc diem pulchri moris tardior Fratrum ætas reſumit religioſè vota & SS. Sacrificia ſub honore Triadis

Sanctissimæ, ad quæ ipsis feria Maiorum pietas prætulit facem. Extat prætereà binum orationis exemplum Tumulo Sacro appensum, quod æui illius sinceritas ad conciliandum DIVVM, Populo proposuerat. Et quia mihi quoq; piè conciliandus est, quòd eius amplissimas virtutes intrà vnius alteriusué chartæ angustias cogere fuerit fiducia, vtrumq; non ore tantùm sed stylo quoq; promo, antequàm desinam.

O noua lux Poloniæ,
Clarum sydus Cracoviæ,
Feruens verna tu MARIÆ
Summæ Matris clementiæ.
Florens rosa munditiæ
Felix proles SIMON pie
FRANCISCI Obseruantiæ;
Fer BEATE præsidium,
Tandem Cœli nobilium
Fac consortes nos Ciuium.

V. Precare Deum pro nobis Beate SIMON
℟. Ne deuincat callidus nos Dæmon.

ORATIO.

DA quæsumus omnipotens & misericors Deus vt B. SIMONIS Confessoris tui præclara nobis merita proficiant, & tuâ gratiâ quam precamur nos dignos efficiant, in quâ firmati, tuæ gloriæ simus adnumerati. Per Christum, &c.

ORATIO ALIA.

FOelix Beate SIMON; qui iam transisti huius mortalitatis fluctus, & pervenire meruisti

ad

adportum perpetuæ quietis, securitatis & pacis; securus & tranquillus semperq; festiuus atq; gaudens es; obsecro te per tuam charitatem, qui securus es de te, sollicitus esto de nostrâ multiplici miseriâ. Per ipsum te rogo qui te elegit, qui te talem fecit, de cuius pulchritudine iam satiaris, de cuius immortalitate iam immortalis factus es, & de cuius beatißimâ visione semper gaudes, esto iugiter memor nostri, subueni nobis miserrimis, qui adhuc in salo huius vitæ circumstantibus agitamur procellis. Tu porta pulcherrima, quâ in magnam surrexisti altitudinem, adiuua nos vile pauimentum longè inferius. Da manum ô Minorum decus, & erige iacentes super pedes, vt conualescentes de infirmitate, fortes efficiamur in bello; intercede & ora constanter atq; indesinenter, pro nobis miseris multumq; negligentibus peccatoribus, vt per tuas orationes tuo sancto consortio coniungamur. Sumus namq; valdè fragiles & nullius virtutis homunciones, animalia ventris & carnis mancipia, in quibus vix aliquod virtutis vestigium apparet. Et tamen sub Christi confeßione positi ligno Crucis ferimur nauigantes, per hoc mare magnum & spaciosum, vbi sunt reptilia quorum non est numerus: vbi sunt animalia pusilla cum magnis; vbi est Draco sæuißimus, semper paratus ad deuorandum; vbi sunt loca Scyllæ &

Charibdis, & alia innumerabilia in quibus naufragantur incauti, & in fide dubii. Ora Dominum, ora pijßime, ora B. SIMON; vt tuis precibus meritisq́ adiuti, saluâ naue, & integris mercibus, peruenire mereamur ad portum perpetuæ salutis, & continuæ quietis. AMEN.

CONCLVSIO.

Nicol. de Sokol.

HAbes pie Lector pauca ex multis, de vitâ & meritis gloriosis B. SIMONIS LIPNICII. Fuit olim Historia eiusdem argumenti diffusior. Sed fuit. Nunc præter defrustati voluminis reliquias occurrit nihil. Quisquis inuidit totum, aut seruauit malè, næ ille in Sanctos Manes & nos simul iniurius. Nostra hæc cum leges cogitabis, *quomodo si inueniatur granum in botro & dicatur ne dißipes illud quoniam benedictio est*, ita hîc prorsùs euenisse. Plurima olim in vitâ & moribus SERVI DEI, obseruata celebrataq́ cùm essent, sola tamen hæc euasêre temporis calamitatem, ceu in Vineâ grandinatâ botri aliquot dispersi feliciter. Scio non omnibus placere notas & compendia, sed neq́ mihi studium placendi omnibus. Vnus mihi pro mille satis, de quo scribo, cui scribo; vltrà, ne quidem votum. Cæterùm licet non dubitem *ad hoc vt Sanctus habeatur quis apud homines in Ecclesiâ Militante duo esse necessaria, virtutem nimirùm & veritatem signorum, merita videlicet & miracula, vt hæc & illa abinuicem sibi contestentur, cùm nec merita sine miraculis nec miracula sine*

Isaia 65.

Greg. IX. circa Canonizat. S. Ant. de Padua.

sine meritis, plenè sufficiant ad perhibendum inter homines sanctitatis testimonium, frustrà tamen hic à me miracula expectes. Singulare hæc poscunt Volumen, dùm sine modo & numero noua nouis quotidie succedunt. Stellas in Firmamento si potes numerare priùs, aut in Sole atomos, deindè nostrum verecundum damnabis eâ in re consilium. Quanquam fuêre qui plurima coniecerunt in sua diaria, & quidem pleraq; per inquisitionis non perfunctoriæ facem iam explorata. Antequam tamen ab Apostolicæ Petræ velut lydij lapidis exactiori trutinâ vim plenam colligant, præconium eorum publicum differre tantisper placuit. Præsertim vno ex adnotatis suprà Scriptoribus, me hac curâ ferè absoluente. Sic autem ille in fronte sui libelli: *Quanquam vt verum fatear signa non faciunt Sanctum principaliter nisi aliqualiter & consequutiuè sanctitatem protestentur, & declarent infuisse, præsertim cùm tot tanta ac talia sint, quòd in eorum consideratione mens expavescat humana virtutem Dei in Sancto eius admirata. Equidem Ioannes Christi Iesu dignissimus Præcursor vt & multi cæteri signū fecit nullum. Ergo non est sanctus? absit hoc à veris Christicolis. Sensualitati tamen istorum faciendo satis qui dicunt, signa nostra non vidimus, iam non est Propheta, id est, verus Frater Minor & Christi fidelis imitator qui Prophetat, id est, viam rectam & securam in Regnum Cœlorum demonstrat*

Nicol. de Sokol.

strat exemplis Sanctis & salutaribus doctrinis, aliqua benignitate Dei omnipotentis meritisq; Virginis Gloriosæ Mariæ nec non Serui sui SIMONIS BEATI mirabiliter patrata, ac variè, pro laudè huiuscemodi Viri, præclarißimiq; Primicerij Sacrosanctæ plantulæ Religionis nouellæ consignabo. Nam benignißimus Dominus faciens mirabilia magna solus qui hunc in vitâ virum spectabilem prærogativis meritorum effecerat insignem, post mortem nihilominùs multò præstantiùs effecit clariorem. Persequitur deindè singula longo ordine. Hunc consulat qui menti piè curiosæ ab ipso fonte embemma vult: incurrent enim in oculos sensusq; eius. Decem verè mortui vitæ restituti. Fœminæ animam agentes (ex difficili partus occasione) viginti octo erectæ. Pestilitatis tempore septuaginta nouem, de morte nidum in ipsorum corporibus statuente triumphantes. Viginti quatuor Hydropem; Viginti sex febrim, qui extinxerunt aut profligarunt. Ab exquisito capitis dolore & vertigine ad vsum rationis conuersi viginti septem. Tres muti quibus redintegrata loquella. Cæci tredecem quibus repulsâ cæcitate reluxit dies. Octo de graui tribulatione & discrimine prodigiosè erepti. Energumeni plures (fremente Inferno) emancipati faciliùs, quàm essent occupati. Sed ista numeret cui Altissimi gratiam infinitam coërtere certo numero audacia. Fidem imploro omnium non huius solùm Vrbis sed Regni Vniuersi Incolarum, quòd morbis sonticis, vel quorum feritas omnem ingenijs

genijs artem eripit, ex solo PALLII & CHORDÆ DIVI NOSTI contactu, remedia promiscuè quærantur. Nec vlli, modò ritè expietur, pietas hæc frustrà esse solet. Plurimùm se debere communi omnium Patrono fatentur singuli, & beneficij memores, Tabulas varij vt metalli ita & precij, gratiæ consequutæ indices, conceptis ex pietate votis certatim suspendunt. Quibus & ego hanc meam appono Pennam, plùs quam erat par, pietate plausum posthabente ausam, ductu & auspicijs eiusdem Thaumaturgi nostri, quem rectè quisquis inuocauit, confusus non est.



ILLVSTRIORA EX RECENSITIS in principio Author. test.

MATTHIAS MIECHOVITA Art. & Med. Doct. Can. Cracov. in suo Chron. de Regno Poloniæ lib. 4. cap 73.

PAter SIMON ex Oppido Lipnica natus, Frater Minorum, prædicator gloriosus & feruidus, peste quindecimo Calendas Augusti die Iouis XVIII Iulij, quæ fuit dies Sancti Arnolphi mortuus est; in Choro Ecclesiæ S. Bernardini in Stradomiâ per Fratres tumulatus; sed cùm miraculis coruscaret, à Fratribus honorificè in corpus Ecclesiæ ad sinistram partem translatus & conditus est. Cuius Epitaphium vnum est hoc.

Lipnicius iacet hic Francisci ex Ordine Simon,
Diuino Frater feruidus eloquio.
Cuius perpetuâ fruitur iam Spiritus aurâ;
Quòd probus hîc sanctè vixerit atq; pius
Quod decorare Dei studuit Genitricis honorem,
Doctrinam factis atq; probare bonis.
Nunc miranda vides testantur signa Beatum
Qui miseris meruit ferre salutis opem.
Hunc igitur studeas tibi conciliare Patronum
Vt voti compos efficiare tui.

MARTINVS CROMERVS EPISCOPVS VARMIensis in Chronicis suis de Origine & gestis Poloniæ lib. 29.

INsignis fuit SIMON Lipniciensis Ecclesiastes disertus

disertus Bernardiniani sodalitij ad meridianam portam Cracoviæ degentis: homo plebeius quidem, & obscuro loco natus, sed probitate & sanctimoniâ vitæ clarus, ita vt ægroti complures ad sepulchrum eius, pristinæ sanitati restituti esse memorentur. Quod quidem de Casimiro quoq; Casimiri Regis filio non modò constanti famâ, sed etiam certis grauibusq; testimoniis affirmatur, qui SIMONEM hunc intrà vertentem annum consequutus est, apud Vilnam tabe consumptus, & in Basilica eius Vrbis à Patre solenni pompâ sepultus, clarus & ipse Sanctitatis opinione.

Martinus Bielski (diversæ alias Religionis) in Chron:suorum lib.4 fol.474.

SEquenti anno mortuus est SIMON Lipnicius Ord. Bernardinorum, homo bonæ vitæ & ideò etiam pro Sancto habetur, & miracula ad sepulchrum eius patrantur.

Franciscus Gonzaga totius Ord. S. Francisci Minister Gen. in suo Chron. lib. de Prov. Pol. par. 2. f. 464.

PAter SIMON à Lipnica pudicißimus, humillimus, abstinentißimus, atq; dulcißimi nominis IESV admirabilis cultor & prædicator, cuius gratiâ vti B: Pater Bernardinus de Senis cauillationes & imposturas perpeti meruit. Hic venerabilis Pater Hierosolymam peregrinationis causâ petiturus, Franciscanam Regulam cuius Ze-

lantiſſimus fuit memoriter didicit, vt ſi forte manu ſcriptam quam ſecùm ſemper habebat, ſæpiùsq́ lectitabat, ſibi à Saracenis eripi contingeret, altera in memoriâ ſculpta ſupereſſet ad quam tanquam ad Lydium lapidem ſuas actiones exploraret. Mortuus tandem miraculis coruſcare cœpit. Nam iuuenem ſibi ex voto oblatùm è mortis amaræ faucibus erutum ſanitati reſtituit, & puellam à nolente Patre caſu occiſam, atq́ eius ſepulchro expoſitam ad vitam reuocauit. Plura alia beneficia quæ omnia libello manuſcripto commendata ſunt, Cracouienſibus præſtitit, cuius ſepulchrum ante ſummum huius Sacræ ædis Altare ſitum, commendatiſsimum fuit.

Abrahamus Bzouius Ord. Prædic. Annalium Eccleſiaſticorum Tom. 18.

ANnus 1482. Hoc ipſo Cracouiæ in Poloniâ peſte abſumptus eſt B. SIMON Lipnicenſis, Eccleſiaſtes diſertus, Minoritarum Obſeruantium Sodalitij, homo probitate & ſanctimoniâ vitæ clarus, ita vt multi ægroti ad ſepulchrum eius ſanati ſint. Huius ſepulturæ votiuis tabellis ornatæ extant cum tali Epitaphio. Lipnicius iacet hic Fran. &c.

Topo-

Topographia seu descriptio singul. Fr. Prouin. Polon. Monasteriorum.

CVm Beatus SIMON de Lipnica Prædicatorem Craconiæ ageret, ita omnibus etiam doctißimis quibusq; admirationi & stupori erat, vt eximia famæ illius laus per ora omnium hominum longè lateq; protenderetur. Mira enim sanèq; diuinâ Viri eloquentiâ multi ita allecti, vt distributis mox in pauperes quas poßidebant substantijs, acceptâ Dominica Cruce, Vitam Euangelicam egerint; pleriq; facti sunt Religiosi diuersorum Ordinum, pleriq; etiam statum pœnitentiæ elegerunt, diuinitùs potiùs infusam, quàm humano partam ingenio eius sapientiam admirantes, cùm innumeras etiam faucibus tartareis eruendo animas cœlo redderet, Verbi Dei pabulo frequentissimè familiam Christi Cracouianam reficiendo. Post cuius immediatè mortem, cùm in auribus hominum patrata meritis eius miracula insonuissent, repentè Sanctitas ipsius quæ viuente illo nulli obscura sed omnibus & singulis clarissima semper erat, clariùs se prodere cœpit. &c.

Diuo

Diuo SIMONI Lipnicio Sacrum.

SYdus Arctoo rutilans in Orbe
Lechiæ gentis decus, Ordinisq;
Quâ patet Sancti columen Minorum, &
Gloria fragrans.
DIVE te SIMON veneror, precorq;
Vt tui iucunda fauoris aura
Mî Canenti aspiret, & inscienti
Verba ministret.
Tu procellosi fera monstra mundi,
Fulminantes atq; acies Auerni
Cautus euitans, modò tecta Diuûm
Magna pererras.
Non satu humano, propè cœlo ab ipso
Editum credo; tibi cùm tenello
Cœlitum concordibus adfuêre
Numina votis.
Primo ab exortu, velut alter ille
Natus Alcmenâ, geminos chelydros
Carnis & mundi illecebras, potenti
Comprimis ausu.
Ordini mox Seraphico, daturus
Inclytum vitæ specimen, venustè
Ceu virens planta insereris Deorum
Læta propago.
Quid loquar? Sanctæ probitatis illa
Tàm citò augmenta approperata, cursu
Atq; inoffenso superata vitæ
Magna perîcla?

Inter

Inter astrorum faculas minores
Qualis exsurgit Phaëton, renidens
Aureo vultu, populisq; lucem
Vibrat amœnam:
Eminet qualis cyparissus, alto
Arduus Pindo, caput atq; celsas
Pôrgit ad nubes, humilesq; myrtos
Anteit omnes.
Qualis aut florum rosa Principissa
Latè odoratis reuirescit hortis,
Purpurâ & Pæsti veluti superbo
Murice candet.
Inter humanos homo Sancte cætus
Talis egisti: auricomus velut Sol,
Moribus splendens, & odore grato
Cinnama vincens.
Necdùm eras hoc corporis exsolutus
Carcere, & necdùm statione fidâ
Quam timor nullus quateret, neq; Orci
Vis inimica:
Angelo par æthereo fuisti,
Labis & noxæ inscius, atq; totus
Fons vt illimis, nihil inquinatum
Corde volutans.
Ad tua extemplò veneranda iussa
Corpore humano, rabidi dolores
Exeunt, tanquam ipse Machaön omnes
Arte fugaret.
Nunc tuos functi Cineres rebellis
Orcus horrescit, stygijq;, ad imum
Vt iubes parent, abeunt, Cerastæ
Corpora linquunt.
Nulla vis quenquam, mala nulla vexant

An-

Anxius postquàm prece supplicanti
Rebus afflictis, releuamen à te
SANCTE reposcit.

Mox salutarem sibi præstò adesse
Dexteram sentit, stupet & fauorem
Tàm citò aspirasse tuum, libensq;
Vota reponit.

Ob tuas SANCTISSIME VIR medellas
Indigis semper quibus adfuisti,
Et graui afflictos releuas vocatus
Fasce malorum.

Dignus ornari omnibus in triumphis,
Laudibus dignus celebrari, & ore
Omnium dici LECHIÆ PATRONVS,
Præsidiumq;.

Poscimus nostri tibi cura nunquam
DIVE discedat, ferus ex vtroq;
Mundus atq; Orcus latere instat, vrget,
Nocte dieq;.

DIVE tu nobis solitò benignus
Rebus extremis vt adesse, opemq;
Vindicem præstare velis precamur
Supplice Voto.

Thure te Sacro venerabimur mox
Supplices fusi ad Cinerem beatum,
Sæculo narrabimus, æuiternæ &
Posteritati:

Quòd tuâ dextrâ propè funerati
Casibus vitæ varijs, reducti
Rursùs ad sortem meliorem & aucti
Sospite Vitâ.


BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

M. Iacobus Vitellius Regius & Tylicianus in Acad. Crac. Professor, Canon. S. Annæ.

F I N I S.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0008014

